

16276.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA,

QUAM,

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE

RITE OBTINENDO,

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE,

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI,

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR,

MAURITIUS LAQUIER,

SILESIACUS.



DORPATI,

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,

TYPOGRAPHI ACADEMICI.

Imprimatur:

ea quidem sub conditione, ut, simulac dissertatio haec typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria, quae secundum jussum supremum distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati, d. xviii. Jun. mdcxxxvi.

Daniel Georgius Balk,

Medicinae et chirurgiae Doctor, Pathologiae, Semiotices et Therapiae Professor P. O., instituti medico-clinici, instituti, quod asphycticorum curam gerit, nec non collectionis pathologicae Director; a consiliis collegiorum etc.

Censor.

D 17540.

Praemittenda.

De dissertationis inauguralis argumento meditati denique de epilepsia disserere, a consilio haud alienum mihi visum est. Quanto insidiosior enim est morbus, et quanto pertinacius renititur medendi arti, tanto magis medicum, de salute humana sollicitum, ad divulganda, quae morbum istum hinc inde debellarunt, remedia incitat.

Quis, quaeso, est, qui nosocomia nobiliora frequentauerit idemque epilepsiae et frequentem et pertinacissimum morbum esse negaverit? Inde sane factum, ut morbus de quo agere

apud animum constituimus, medicorum omnis aevi attentionem studiumque occuparet et antiepilepticorum, arti medendi passim repugnantium, ingens orta sit copia.

Methodus, qua mihi in nosocomio caesareo, Perillustris Balkii, Praeceptoris Reverendissimi, viri, ut arte, ita et facundia insignis, auspiciis, epilepsiam radicitus sanare contigit, nova quidem non est, utpote a Van Suieten, de Haen, Tissot, aliisque jam pridem commendata. Sed et observationes dudum factas fulcire, et monstrare, qua via procedendum, si causa morbi proxima talis fuerit, qualis in laudatis observationibus, non utique superfluum.

Ceterum remedium praesentissimum singulisque in morbo isto debellando usibus probatum frustra expectaveris. Causis morbi diversis, remedia differant eadem necesse

est. Nec unâ eâdemque ratione morbo medetur medicus. Perill. Burdachii, Praeceptoris Reverendissimi, de febribus differentibus huc spectant verba: „Es ist gewiß, ait, eine eben so vernünftige und ausführbare Idee, den Stein der Weisen mit allen seinen Prädicaten und Tugenden, den Ring des Gyges und ähnliche Schätze der Chimäre zu entdecken, als ein allgemeines Fiebermittel zu erfinden.“ 1)

Ante autem quam ad scopum ipsum accedimus, epilepsiae diagnoseos, aetiologiae et curae in genere praemittere liceat qualemcunque conspectum. Itaque specimen nostrum primo de epilepsia in genere aget, deinde observationem supra commemoratam exponet.

1) Handbuch d. praktisch. A. M. Lehre v. Egnitz, 3ter und letzter Th. die neuesten Entdeckungen der A. M. Lehre betreffend, bearbeitet von Burdach.

Quibus praemissis, ad Vos me converto, Praeceptores Reverendissimi! Quaecunque praestare mihi licuerit, Vestris beneficiis solis me debere, ingenue confiteor. Vestrae indulgentiae, quâ semper gavisus sum, qualescunque hasce studiorum primitias de meliori commendo. Indulgete, quaeso, tironi, specimen mancum fortassis inventuri, Vestraque expectatione inferius.

Sancte equidem polliceor, semper me id acturum, ut operae et beneficiorum in me liberaliter collatorum, Vos olim non poeniteat.

Caput primum.

De epilepsia in genere.

Synonymia.

Epilepsia, morbus caducus, morbus comitialis, morbus Herculeus, morbus divinus, morbus sacer, deificus (lues deifica), morbus soniticus, morbus lunaticus (Σεληνιακός).

Definitio.

Spasmi clonici musculorum animi voluntati subjectorum, cum sensuum et memoriae circa res in ipso paroxismo peractas jactura.

Paroxismi epileptici plurimum differunt, et extensione, et intensione, et numero:

modo enim omne corpus afficitur, modo pars singularis; alii paroxismis vehementissimis sunt obnoxii, alii patiuntur leviores, alii singulis mensibus, circa aut interlunium, aut plenilunium, et haec quidem morbi, de quo disserere apud animum constituimus, forma *epilepsia Lunatica* est auctorum. — Sunt qui singulis diebus semel, deciesve corripiantur. Sed morbi impetus eodem die repetitus levior esse solet, vigesimum horae punctum minutum vix ac ne vix quidem excedens.

Epilepsia saepius aggreditur infantes delicatulos, XII annorum minores, tinea capitis etc. adfectos. Est quoque morbi vis in utroque sexu diversa, et in eo quidem, quod, ad septimum aetatis annum, aequalis puerorum puellarumque numerus, eidem sit obnoxius, inde ab illo tempore autem, plures feminae, quam mares,

Diagnosis.

Prodromi sunt: lassitudo, oscitatio frequens, lingua haesitans, stupor, vertigo, capitis dolor, somnia horrida, aurium tinnitus, soni omnino novi rarioresque percepti,

oculi lacrimantes, palpebrae tumentes, vena frontalis turgens, facies turbida, arteriarum temporalium vibratio, cordis palpitatio, anxietas, respiratio molesta, cardialgia gravis, singultus, borborygmi, tumor abdominis, extremitatum frigus, fornicationis sensus, urina pallida et aquosa, aurae frigidae sensus veluti a parte remota ad caput ascendentis.

Quorum praenunciorum alii, etiam in partibus internis, motum convulsivum adesse, significant. Accessionis epilepticae, cui quis semel jam obnoxius fuerat, signa prodroma plerumque nulla praecedunt.

Accessionem ipsam symptomata sequentia produnt: Lapsus subitus, saepe cum clamore, ut musculi voci formandae inservientes primum affici videantur. Quosdam ante quam labuntur, in gyrum agi, alios cursitare pedibusque terram tundere videas.

Lapsus tamen et clamatio non utique necessarii epilepsiae indices. —

Oculi distorti, os varie deformatum, digiti manuum contracti, pollex inter reliquos digitos, plerumque quidem, non tamen in singulis, retractus. Lingua saepe

mirum in modum agitata, fauces versus retracta, inter dentes protensa; spumas os agit; respiratio gravis, interdum tam violenta strangulatio, ut fere suffocari videatur aeger; truncus incurvatus; artus in omnem partem adeo agitati, ut aut luxationis, aut fracturae periculum cernas. Plerumque alterius lateris artus magis convelluntur, quam alterius. Dentes saepe diffracti cadunt, maxilla inferior nunquam distracta. Priapismus ac seminis ejaculatio interdum contingit viris. Urina foetens e quibusdam cum impetu valde procul pellitur. Pulsus fere contractus, frequens, incompositus, saepe vix tactu percipiendus.

Non semper tamen singula ista symptomata simul comparent.

Paroxismi duratio incerta, jam non nisi singulorum momentorum, jam adeo integrarum horarum.

Respiratio circa finem paroxismi tardior, liberior, pulsus minus frequens; convulsiones paulatim cedunt; oculi aperiuntur; membrorum gravitas, sicuti lassitudo, cessat; tandem sopor horarum quinque octove subsequitur, quo remisso alii vires adipiscuntur, aliis immanet infirmitas, cum hebetudine sociata.

Epilepsia interdum vertitur in fatuitatem, apoplexiam etc.

Epilepsiae in hydrophobiam versae tria commemorat exempla Tissot, V. C.

Aetiologia.

Proxima morbi causa difficulter exponenda. Haud alia tamen esse videtur, quam, ut Tissot, V. C. docet, vis cerebro originique nervorum illata, qua principium vitale in nervos motorios agitur.

1. Causae nativae (praedisponentes quas dicunt), sunt, quae sequuntur: ex parentibus epilepsia laborantibus natales; puerilis aetas; genus femineum; maxime gravidarum subitaneus terror; natura tenera, irritabilior; plethora, somni abusus, animi praecox maturitas; mira sagacitas; ingenii intentio; coitus immodicus; onaniâ, rel.

Causae occasionales.

1) Affectioes sensorii locales.

Cranii vulnera, spina ossea cavitati cranii infixa; cerebrum vi quacumque pressum; ulcus cerebri; sanguis collatus, aqua, serum acre, induratio vel ossificatio meningum, earumque inflammatio, hydatides plexum choroideum obsidentes, polypi *etc.*

2) Affectioes symptomaticae.

Excretiones naturales impeditae; metastasis ex variolis, arthritide, psora, plica Polonica *etc.* — Venena ingesta, ut: belladonna, cicuta, mercurius sublimatus corrosivus, plumbum *etc.* perturbatio animi, calculi vesicae felleae, aut urinariae; incitamenta gastrica, meconium, acidum primarum viarum ex lacte; vermes, dolor dentium, ossium fractura, operatio chirurgica dolorifica, luxationes, pletho-

ra, diaeta lautior, usus spirituosorum, exercitatio ex saltatione; humorum jactura per galactorrhoeam, diarrhoeam, venae sectionis temerarium usum, vulnera, abortum *etc.*

Quid multa? nulla omnino corporis pars seu externa, seu interna, nullum irritamentum sive topicum, sive symptomaticum invenitur, quin istius morbi generandi ansam praebere queat.

Prognosis.

Secundum causas instituenda. Quae si auferri possint, epilepsiae sanandae spes erit, et contra.

Omnino autem difficillima est sanatio. Hereditariam et ex cerebro vitioso ortam, vix unquam sanaveris. Praeterea hypersthenica facilius cedit medicorum arti, quam asthenica. Paroxismi per noctem, nec praeviis praenunciis, saevientes, pessimorum loco habendi. Epilepsia neonatorum medelam vix suscipit. Undecimo duodecimo aetatis anno exorta per ipsam succedentem pubertatem saepe sanatur. Tempore menstruationis, graviditatis,

aut partus exorta, persaepe revertitur, abortum maturat saepissimeque mortem infert inter partum. Ex ira oriunda, levior, gravior ex terrore, gravissima ex sollicitudine. Cum febre remittente quae incedit, corticis peruviani usu saepe sanatur.

Interdum per febris intermittens, dysenteriae, haemorrhagiae, exanthematum mirabili beneficio tollitur.

Accessio epilepsiae cum seminis jactura incedens pejor est; ut qui magis debilitet; ex onania oriunda, in pessimis habenda. Quo majori temporis intervallo distant paroxismi, eo magis saeviunt. Pejor est idiopatica, quam symptomata, tum enim difficillime aufertur causa, in cerebro haerens.

Conjugium ei medetur, non omnino quidem, sed

1. Si exorta fuerit e menstruatione suppressa;
2. Si menses justo parciores, vel erratici, originem ei dederint.
3. Si ex nimio castitatis studio originem traxerit.

Ab hisce conditionibus si discesseris, neutiquam conducit matrimonium.

Ceterum naturae, seu temperamenti, quod dicunt, constitutionis corporis, victus, statusque domestici, et medelarum jam antea adhibitarum, ratio habenda.

C u r a.

1) Sub ipso paroxismo.

Remedia vix adhibenda, non alcali volatile naribus admovendum, neque clysmata adplicanda: os enim et anus ut plurimum spasmodice clausi. Non magis conveniens balneorum usus; quippe facile laedi potuerit aeger, convulsionibus agitatus frequentibus. Fomentationes adeo evitandae; ne ex motu frequente refrigeretur aegrotus. Haec solummodo conveniunt impetu epileptico correpti vestes cito laxandae; vincula solvenda, prospiciendumque, ne caput laedatur, artus contendantur, aut lingua mordicus laceretur.

Ad linguae laesionem avertendam, corii, particulam dentibus interponere consultum.

Prodromi si adfuerint, consilium capiendum, ne cibos adsumat aeger, nec ventre referto corripatur et congestiones ad cerebrum oriantur. Sunt, qui columnam vertebralem oleo animali Dippelii, unguento nervino mixto, perungendam et clysmata leniter excitantia applicanda esse suadeant, id quod tamen Perill. Balk, carissimus praeceptor, jure meritoque vituperat, docens paroxismos aegre prohiberi, sin vero prohiberi contigerit, magis damni inde redundaturum, quam commodi, quum omnis paroxismus re vera critica sit accessio.

Aura epileptica cum praecesserit, praecavetur interdum accessionis impetus, parte illa, unde aura provenit, ligata; dummodo ligatura nequaquam nimis arcta fuerit. Congregatorum hominum copiam minuere, consultum, ne corrumpatur aedium aër, aliter enim paroxismus ingravescit.

Neque vulgi epilepticorum pollicem efringentis consuetudo cooptanda, utpote quâ paroxismus proferatur, aeger debilitetur, et, quod pessimum est, impetus ad internam quamcunque partem facillime transferatur. Richterus, V. C. inter prodromos vomitorium

porrigere suadet, id quod, ut equidem existimo, jure meritoque reprehenditur, congestionis causa inde effectae.

Concionator quidam rusticanus (Reichs-anzeiger 1796. C. 6202) sub paroxismo os aegri vi operire suadet, et infantibus sex octove annorum, cochlear olei olivarum, dimidiumque sacchari candi instillare, adultis autem duo cochlearia unâ cum cochleari sacchari candi. Testatur idem, jam octo aegros eo remedio sese sanasse, vixque amplius opus fuisse illo remedio quam sub tribus paroxismis.

2) Extra paroxysmum.

Cura secundum causas instituenda.

In epilepsia ex meconio enata, alvus ducenda; ex acido cum exorta fuerit, magnesia vel alcali; ex venenis ingestis, antidotum porrigendum; ex vermibus anthelmintica adhibenda.

Sthenica si fuerit morbi causa, in robustis bene nutritis, diaeta lauta vinosiorique utentibus, methodo debilitante, ipsaque venae sectione erit utendum.

Tralles venae sectionem ipso paroxismo saeviente commendat. Dubito autem, an prudens consilium.

Asthenica si fuerit, nostris quidem temporibus longe frequentior, methodo excitante eademque corroborante utendum.

Nauseâ paroxisum antecedente, vomituque subsequente, vomitorium adhibendum, cujus usum permultum profuisse testantur viri celeberrimi *Van Suieten* et *de Haen* ²⁾.

Tissot, V. C. vel nullo incitamine gastrico vigente, nullâque nauseâ vomitoria commendabilia esse, diserte docet, hisce verbis: „In vielen andern Fällen bin ich überzeugt worden, daß, ob ich gleich nicht einzig und allein dem Brechmittel die Heilung habe zuschreiben können, ich doch nicht vermögend gewesen seyn würde, sie ohne dieses Mittel zu heben; ja ich bin selbst versichert, daß große Aerzte fehlen, wenn sie dieses Mittel zu sehr vernachlässigen. Seinem Gebrauche haben die meisten Charlatane die kleine Anzahl der Curen zu verdanken, die sie verrichtet haben ³⁾.“

2) Ratio medendi pars 5. Cap. 4.

3) Tissot Abhandl. von der fallenden Sucht. S. 227

Cui hac methodo uti libuerit, maxima sagacitas de meliori commendanda, ut quem sciscitari oporteat, an gastricae causae re verâ adsint. Quae cum desint, tantum abest, ut prodesse queant, ut damno non esse non possint, utpote quae *Tissotus* ipse non omnino commendare ausit, submonens: „Über die Unwissenheit, mit der sie (die Charlatane) es fast in allen Fällen gebrauchen, verursacht, daß sie sehr oft das Uebel verschlimmern, weil die Anzahl der fallenden Sucht, in der ein Brechmittel schadet, unendlich größer ist, als die Anzahl derjenigen, worin es hilft ⁴⁾.“

E vitio locali si fuerit profecta, id ipsum aut tollatur, aut imminuatur.

A graviditate orta, nec cessans circa tertium mensem, vix ante foetum exclusum cessaverit.

Sub partu ipso si contigerit, partus, ne lethale reddatur malum, arte erit absolvendus.

Spina ossea ossium parietalium si forte in causa fuerit, nec latuerit spinae sedes, trepanationis ope erit removenda.

4) Ibidem.

In reliquis epilepsiis ex infirmitate profectis, prae ceteris remediis stimulantibus, tanquam palmaria laudantur:

Asa foetida, cujus in morbis nervorum adhibitae omnino mirus est usus, et pillulari quidem in massa, pulvere rad. valerianae et oleo animali Dippelii mixta, vim exserit eximiam. Impugnandae epilepsiae, oriundae aut e menstruis suppressis vel torpidis, aut ex hysteria, quam maxime conducit, et ad clysmatum usum tum haud minus commendabilis. Usui interno adhibeantur doses largiores, ut granorum **XX — XXX.**

Folia aurantium ad nimis auctam irritabilitatem et incitabilitatem mitigandam faciunt; quorum tamen usus in pulveris, quam infusi, forma salubrior. Distribuantur, intra 24 horas, saltem ad $\mathfrak{z}\mathfrak{3}$ — $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$.

Belladonnae tum folia, tum radix, tum extractum e succo recenti paratum, quorum quidem tum est aptissimus ac saluberrimus usus, quum habeas, quod suspiceris, ex incitamine cutis vitiosae id mali esse oriundum. Incipias dosibus parvis, sensim adauctis per-

gas, usque dum gravitas, vertigo et oculorum caligo sequantur.

Camphora; convenit epilepsiâ ex onania aut coitu immodico enatâ laborantibus; aptissime jungenda cum spiritu cornu cervi liquore anodyno. Detur in massâ pillulari cum rad. valerianae extracto et sale cornu cervi. Incipiat cum gr. j - jj, quantitate in dies adaucta. Interdum drachmam integram porrigere licebit.

Cuprum ammoniacale haud temere laudatur. Cel. *Frank* interdum commode id adhibuisse sese tradit. Convenit vitiiis sensorii corrigendis. Ejus enim est efficacitatis, ut per omnem intestinorum tractum, etiam sensorii turbationem mutet. Detur gr. β - jj, et ter quidem per diem. Dosis gr. jx adhibere, ut Cel. *Vogelio* visum est, dissuadet Cel. *Frankius*, et eo quidem, quod jam ex usu gr. jj irritationem majorem largamque diarrhoeam viderit prognatam.

Extractum conii maculati et daturae stramonii a Cel. *Stoerkio* commendantur. Dentur ab illo ad gr. v; ab hoc ad gr. j, ter per diem.

Balnea frigida conveniunt epilepsia ex animi motu quocunque orta laborantibus. Cavendum autem, ne aeger ibi diutius insideat, quam horae unius puncta minutiora decem; aliter congestionibus ad cerebrum orituris.

Flores zinci conveniunt infantibus paroxismis brevibus frequentibusque vexatis. Dentur gr. $\text{jj} - \text{x}$ ter quaterve.

Moschus epilepsiae ex terrore correptis conveniens. Dentur doses non parvae quidem, sed quae gr. xv quantitatem non excedant, quater per diem. Moschi in aqua soluti venisque injiciendi usum suadet Cel. *Hahnemann*.

Oleum animale Dippelii profecto dignum est, quod celebretur. Nervorum nimiam mobilitatem tollit. Dentur guttae seni, octeni, de nive per diem, cum aethere sulphurico junctae,

Phosphorus. Laudatur formula sequens:

R. phosphori gr. jv

solve

in aetheris vitrioli 3jj

S. quater per diem gutt. x cum potione mucilaginis.

Pulvis radice paeoniae a veterrimis medicis valde laudatur. Praecipue autem infantibus prodesse videtur. Dentur gr. x ad scrupulum usque.

Arcani Ragoliani, quod saepe profuit, compositio haec esse perhibetur: R. rad. valer. 3j , fol. aurantior Dj , sal. ammon. gr. jj , ol. cajap. gutt. jv . M. S. pro dosi. Gmelinio autem iudice fol. aurantior. neutiquam reperiuntur in illo arcano, sed magnesia alba, quare id arcani ita definit *Vit Cel.* R. rad. valer. $\text{3}\beta$, magn. albae, sal. ammon. aa. gr. jjj , ol. cajap. gutt. jj . M. S. pro dosi.

Agarici muscarii usum debellandae epilepsiae apprime convenire, e suppressis exanthematibus chronicis exortae, auctor est Cel. *Withlingius*. Dentur gr. $\text{xv} - \text{Dj}$.

Radice valerianae maximus laudator est Cel. *Tissot*, a cujus partibus stare memini *Perill. Balkium*, praeceptorem carissimum. Exhibeantur $\text{Djj} - \text{Djv}$, pulv. ter quaterve per diem.

Viscum quernum in epilepsia curanda adhibitum a veterrimis medicis permultis magni aestimabatur. Detur in pulveris aut electuarii forma $\text{3}\beta - \text{j}$, ter quaterve in dies.

Extractum taxi nuperrime valde commenda-
datum (Vid. Huf. Annalen der franz. Arznei-
funde). Dentur gr. ꝑj — ꝑij ter quaterve per
diem.

Aërem coelumque mutandum suadent pru-
dentiores. Inveniuntur enim non pauci, qui
susceptis longinquis itineribus convalescerent.
An ob immutatam incitabilitatem nec ne?
disquirant peritiores.

Jactat Cel. Starkius ⁵⁾ medicamen simplex;
quo jam 36 epilepsias inveteratas sanavit, quod
tamen divulgare, quod equidem sciam, viro
doctissimo non est visum.

Methodus Stütziãna quoque ad epilepsiam
sanandam adhibita. Infantem duorum anno-
rum ex secunda hebdomade post partum epi-
lepsiã laborantem illã methodo curavit Cel.
Klein. Exhibebat, singulis horis, opium et
kali carbonicum vicibus alternis. Jam primo
die paroxismi imminuti, denique sensim om-
nino cessarunt,

5) Stark's Handbuch zur Kenntniß u. Heilung innerer
Krankheiten. 2ter Theil.

Celsus refert: „Quidam jugulati gladito-
ris calido sanguine epoto, tali morbo se libe-
rarunt, apud quos miserum auxilium tolera-
bile miserius malum fecit.“ ⁶⁾

Maximam autem salutis spem ex mysteriis
Mesmerianae artis exspectandam esse, persua-
sissimum habeo.

Quod restat, prudentis medici est, ex re-
mediorum supra commemoratorum farragine
id eligere, quod aegrotis singulis maxime con-
venire videatur; quod post aliquot tempus
si non profuerit, cum alio permutet. Saepe
omnia specifica, quae dicunt, ex ordine adhi-
bita, spem medici fallunt, quibus deinde re-
petitis, ullum tandem invenitur, quod com-
modum antea denegatum dexterrime praestet.

6) Celsus de medicina lib. III.

Caput alterum.

Historia morbi.

Sequitur, quam in dissertatione ipsâ promisi, morbi historia, in Caesareae hujus Universitatis literarum nosocomio, cui cl. *Balkius* praeest moderator, a me ipso diligenter observati.

Puella quaedam, sedecim, et quod excurrit, annos nata, mediocris staturae, cui decimo quinto aetatis anno catamenia primum apparuere, satis bene valebat, donec ante sex menses, sanguine menstruali stillante refrigerium est perpressa. Illico immani capitis dolore corripiebatur, qui, e regione fron-

tis proficiscens, basin potissimum cranii et fundum orbitae petens, vertiginem habuit comitem. Paucis diebus praeterlapsis convulsiones accedebant, istius quidem indolis, quae *Friderico Hoffmanno* spasmi mixti et vagi audiunt. Paroxysmus enim a tetano vero incipiens, tribus circiter horae minutis post, in tetanum lateralem s. pleurasthotonum versus est. Primum musculus rectus capitis lateralis, dein intercostales externi et interni, scaleni, quadratus lumborum, et intertransversarii dorsi, et lumborum sinistri lateris corripiebantur, paulo post lusus idem eisdem lateris dextri musculos adibat, et horae quadrante elapso in paroxysmum verum epilepticum transiit. Impetus iste typum perquam fixum servans, viginti uno diebus praeterlapsis, horâ nonâ matutinâ semper redibat, aegrotanti ter quotidie contingens, triduo emenso sponte evanuit, donec consuetâ periodq iterum reversus est. Paroxysmo vigente cessaabat omnino sensuum usus facie tumida, rubra atque albugineae vasis sat turgidis. Catamenia tum ratione quantitatis, tum qualitatis, tum temporis, tum durationis, fere talia erant, qualia esse debent ex lege naturae. Extra paroxysmum, de nullo que-

rens incommodo, valetudine optima frui videbatur puella. Praeter refrigerium supra jam memoratum alia morbi causa non erat exploranda.

Per quatuor, et quod excedit, menses morbum istum perquam rebellem remediis exquisitissimis et medicorum principum usu comprobatis debellare incassum tentavimus, ita, ut ne typus quidem fixus ullam subiret mutationem. Ex quorum remediorum numero et pulverem et infusum radicis Valerianae, folia aurantiorum, flores Zinci, Oleum Cajaputi, Camphoram, radicem et herbam Belladonnae, pilulas ex asa foetida, balnea tepida, inunctiones mercuriales et aromaticas, enemata, injectiones uterinas, corticem peruvianum tum in pulverem redactum, tum decoctum nominasse sufficiat. Tandem embrocationis cum aqua frigida, („Sturzbad“ audit nostratibus) adhibendae consilium cepit nosocomii director. Octo igitur dies ante paroxysmi recursum, ejusmodi balneo tum matutino, tum vespertino tempore utebatur aegrotans, quo facto totum corpus, potissimum vero spina dorsi, pannis fricabatur laneis. Inde ab hoc tempore (mi-

rabile dictu!) ne ullus quidem rediit amplius morbi impetus atque aegrotans, a morbo utique liberata pristinaeque sanitati restituta, sex ante menses ex instituto clinico laeta grataque mente excessit, optima hodieque gaudentis valetudine.

T H E S E S.

I.

Viros quoque a chlorosi affici posse crediderim.

II.

Natura sola non omnibus morbis valet mederi.

III.

Foetu etiam vivo interdum perforatio commendanda.

IV.

Medicamentorum vires ex analysi erui non possunt.

V.

Accessiones epilepticae, criticae sunt habendi.

VI.

Nervos ad cerebrum contendere, persuasum habeo.
